NOTIONES ALIQUAE DE FRACTURARUM CURA DISSERTATIO...

Antonio Scolari



NOTIONES ALIQUAE

DE

FRACTURARUM CURA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD MEDICAM LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

IN CELEBERR. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

ANTONIUS SCOLARI

PATAVINUS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVI



MEMORIAE

ALEXANDRI KNŸPS MACOPPE

Haec dies jamdiu expetita, quae et curriculo cui pridem insisto et parentum meorum votis terminum statuit; haec ipsa dies recentissimum animi dolorem in memoriam revocat, et mihi acerbissimo luctui semper futura est. Curas enim et gaudia, quibus vita agitatur vicissim atque hilaratur, Amicus mecum dulcissimus partiebatur. Ille mihi et suavitate morum spiritum recreabat, et erudiebat mentem ingenii amplitudine; et, sive a severioribus studiis doctrinam, sive delectationem ab amoenioribus peterem, perpetuus lateri meo comes haerebat. Nunc autem heu! solus male firma in periculoso vitae itinere ponam vestigia; nunc heu! nemo incerto mihi facem anteferet . . . per invia ac devia hac illac offendens errabo . . . . Amicum amisi, et doleo cordis mei vacuitate. Hodierna die, Alexander, serto honestandi si-

mul eramus; at Te praeripuit mors immatura, et amicos atque propinquos affecit tam cari capitis desiderio.

Recordor enim quas effuderis lacrimas cum inibi eras, ut me quem tanto prosequebaris amore discessurus relinqueres; et fidem recordor quam mihi solemnem dedisti, Te scilicet caelestium rerum potitum Deum optimum maximum perennibus pro me precibus lacessiturum. Fidenter igitur diligenterque hodierno fungar officio; Te duce atque auspice salebrosum iter aggrediar; et vivam tui amoris memoriam inter recessum et otia studiorum, inter civium turbas et celebritatem, inter opem aegris ferendam repetam semper et conservabo: eritque hoc unum in votis, ut tecum in aeternae beatitudinis gloria merear caelesti serto aliquando honestari.



In tractandis fracturis, quae mechanicae laesiones ossium sunt et quarum cura est omnino chirurgica, asseri forsan potest quod postremis hisce temporibus scientia nostra certiores fecerit progressus et optatam tetigerit perfectionis metam. Neque hos inter progressus censenda est instrumentorum detectio neque inventio nova apparatuum, quorum ope fracti artus ad sanationem perveniant; sed vera philosophia et diuturna experientia, summae in cunctarum artium genere magistrae, chirurgum perduxere ad simplicitatem felicissimam, signum tutum et firmum veri in utilibus artibus nec non pulchri in jucundis, et ad agnitionem inutilitatis et damni quorumdam apparatuum, qui toties adhibiti et toties ad sidera jampridem elati fuere. Non est chirurgiae pars, quam ita facile nonnulli se agnoscere et intelligere credant, quam quae fracturas et luxationes respicit: quisque practicus chirurgus nempe, parum doctus etsi atque imperitus, sat in ipsa instructum se tenet, sic imo ut credat solvere se posse omne id quod repetitur ab arte; ideoque errores semel accepti, demum difficile rejiciuntur: et heu! nimis multi multique transeunt anni priusquam se

quis exuat opinione, qua imbutus fuerit antea (quamquam non esse veram manifeste cognoverit), dummodo de ore auctoritate pollente forte multa fluxerit.

Clarissimus Pott jam ab aliquo tempore ea erat sententia, (quae aliunde illa erat Hippocratis et Galeni) quod in tractandis fracturis respectus major haberi deberet musculorum relaxationi, qui ossibus fractis adhaerent; quod per hujusce praecepti observationem eo facilior fieret fracturarum reductio; quod interdum haec inanis evaderet, dum e contra reduci posset etiam ex se absque ulteriori extensione et contraextensione, et quod totus denique apparatus ad successivam ipsius conservationem non deberet reponi nisi in simplicissima fascia cohibente vel apparatu cohibente simplici, qui tantum vetet aegrum movere posse fractum artum, et consequenter distrahere processum adhaesionis a natura inceptum. Et revera prudentes omnes chirurgi hanc amplexi erant doctrinam, quae aliunde omni sano intellectui quadrabat tam ob recta principia, queis erat innixa et ex quibus manabat, quam quia facto et experientia confirmabatur. Sed volvente anno millesimo septingentesimo octuagesimo quinto Dessault, qua protochirurgus majoris totius orbis Nosocomii vocatus (quod mox Ferrand reliquerat quodque tum primum factum erat theatrum publicarum clinices chirurgicae lectionum), respuit sententias jam statutas in chirurgia a clarissimo Pott, et sibi famam acquirere tentavit complicando *praesertim* fracturarum curam numerosissima ap-

paratuum inventione; et quasi de totius orbis centro huc illuc de Lutetia fluebant ipsius alumni, qui ejus doctrinis imbuti, magistrum ad astra tollebant. At demum tarda experientiae vox est locuta, et cunctae professoris Dessault inventiones quamvis aliunde ingeniosae, quaeque novissimus genii chirurgici conatus clarioribus viris, quos inter celeberrimo etiam Bichat videbantur, fere omnino sunt in praesens oblitae. Nullo modo inficiari quit principium celeberrimi Pott et cum hoc inutilitas omnium apparatuum extensionem ferentium permanentem vel alio verbo vim evincentium muscularem, quae in actione sua constans habetur. Considerata in abstracto fractura, ipse ait (*), nec extensio nec contraextensio necessariae reddi queunt. Extremitates ossium ruptae sunt ineptae per se, et usque immobiles permanerent ubi aliunde non agnoscerent motum. Quotiescumque eas movere quis tentet, quasi ex se nullo pacto resistere possunt impulsui, qui in ipsas fertur ab extra; nec ulla quidem resistentia ex ipsis opponi potest, praeter fortuitam fragmentorum alternationem unius partis fractae cum altera; et cum chirurgus fragmenta haec semel composuerit, eo ipso modo quo aptatae sint manere vellent. Qua ergo de causa ossa rupta plus minusve amoventur? Cur artus fractus plerumque brevior est alio non fracto? Unde igitur augetur resistentia, quam nos invenimus quotiescumque ad contactum exacte reducere partes fractas tentemus? Et cum

(*) The chirurgical Works of Paroival Pott. London 1779.

quod potuimus agere, egimus (intelligas velim communem modum agendi), cur, quaeso, fracturarum extremitates rursum amoventur ex se tot in casibus, et sic frequenter consequens est vel claudicatio vel quaevis alia deformitas? Uno verbo partes sive potentiae, quae agunt in ossa, quaeque talem ob actionis modum hasce cunctas consequentias producant, quae sunt? Partes hae, hae potentiae, unicae corporis animalis motrices, musculi nuncupantur et sunt. Per istorum actionem in ossa unaquaeque corporis paris movetur, et sine ipsis hoc effici nequit: et cum sit quod ossa omnia rupta sint aliquo in gradu disjuncta atque artus brevior; nihilo tamen secius semper observatum fuit quod ea proportione, qua musculi circumpositi vel ossi adhaerentes, robusti et numerosi sunt, vel inconsiderate moti, aut spasmo prehensi; par erit etiam disjunctio extremitatum ossis jam fracti. Exacta reductio tibiae fractae cum integra, non rupta, sit fibula, nec musculi in illud os agere possint; visibilis et immediata deformitas cum os unum et aliud cruris est fractum fere in eodem loco, et musculi actionem propriam exerceant atque extremitates fracturae disjungant; maxima difficultas, cui saepe saepius occurrit quisque tentet femur fractum ita collocare ut recte jaceat et impedire ne respondens artus sit brevior altero; sunt inter cetera, quae agi possent ita fortia experimenta quibus minime inficiari possibile est et quae ulteriori explanatione opus non habent.

A musculis ergo, ab ipsis tantum, pendet dif-

ficultas, quae nobis occurrit dum extensionem facimus, et ob ipsorum tantum resistentiam nobis datum non est posse extremitates fracti ossis simul unire. Nunc ut ab eo quod nemo negare potest (ita evidens est) ad consequens logicum deveniamus illius principii, quod nos profitemur, observamus in primis quid sit, quod musculis alicujus artus facultatem tribuit resistendi cuique vi ab extra adplicitae ad eos extendendos; nam quidquid hoc sit, causam usque sistet variorum resistentiae graduum in reducenda fractura. Nonne ergo hunc producet effectum dare musculis statum tensionis, vel alio verbo talis artus positio, vel prope talis, non ipsis favebit dum magis actionem vel resistentiam exercent? Id cogito, negari non poterit. Nunc quae erit artus positio quae in ossis fractura, melius vetet ne musculi in ipsum agant et extremitates fractas dimoveant? Anne obvium est quod cum membrum ita jaceat, totus ut relaxari queat apparatus musculorum, qui ad ipsum pertinent vel connexi sunt cum illo, anne obvium est, inquam, quod hoc melius erit in votis? Et id cum mihi concedatur, nonne consequens est, imo consequens esse debet, quod talis positio sit potior ad reductionem fracturae, et illa sit et debeat esse, in qua musculi minus resistent et minus probabiliter erunt extensi, illa in qua fractum os et facilius redigetur et stabit toto curae tempore; illa demum, ex qua minor in posterum deformitas orietur? Breve examen circa id quod frequentius evenit; aptius quam simplex ratiocinatio tales doctrinas illustrare et confirmare valebit.

★

Qua de causa nulli chirurgo, etsi parum in arte perito, unquam difficultas occurrit in reducenda humeri fractura, quin imo hoc facit parcissimo labore et levissimo, forsan extensionis gradu? In hoc ratio: Quod ita chirurgus quam aeger brachium flectunt, vel, idest, ipsi talem positionem dant, quae omnes valeat relaxare musculos fractum os circumdantes. Ipsissima vero de causa etiam nos raro videmus deformitatem consequentem humeri fracturam, comparatione instituta hujus ossis cum ceteris. Brachio extenso reductionem tentetis et reducendi difficultas valdopere adaugetur; recte brachium jaceat, et fractura turbabitur et impar efficietur. Nonne hoc magis urgens, nonne hoc magis concludens est ac dicere: ea proportione, qua musculi ossi adhaerentes numerosiores et fortiores sunt, disjunctio eveniet ossis jam fracti? Petere vellem ex aliquo, qui plures hujuscemodi casus viderit, quae sit positio illorum queis de recenti sibi fregerit femur ut aliquod sentiant levamen usquedum chirurgus adveniat. An infelices isti fractum artum extendunt, coxamque ponunt ita rectam et crus, ut in talo stent et in sura? Raro, imo numquam; sed e contra proprium flectentes genu quiescere faciunt ruptam coxam supra latus externum.

Objectio, cui olim et in praesens multum ponderis datum fuit, surrexit, et est: quod usquedum musculus unus relaxatur, contrarius alter extenditur, et sic omnis amittitur, quae inde venire quibat, utilitas. Nec negari hoc ullo modo posset, si loquerentur de artu quocumque sub-

sidio experti, vel vi positionem certam tenenti; sed cum jaceat artus in lecto sibi ipsi commode relictus, nil aliud est nisi membrum quod solis propriae gravitatis legibus paret; et musculi qui in ipsum agunt sunt quasi non essent: cuncti enim sunt relaxati: aliter ponere deberemus quod durante somno vel contracti manerent musculi illi cuncti qui concesserunt ut corpus in electa positione restaret, vel e contra distensi illi oppositi lateris: id quod omni sano intellectui non nisi absurdum potest videri. Ob defectum attentionis ad haec argumenta vel quia pauca haec principia, aliunde per se evidentia, non fuere intellecta, tot chirurgi tot tantaque incommoda atque damna tam praesentia quam futura sibi commissis adferunt aegris. Omnibus ergo istis veritatibus acceptis, quis nullitatem illorum apparatuum non videt, quae per totum tempus curationis fracturae alicujus adhibentur ad evincendam musculorum actionem atque apparatus extensionis permanentis? Sed veniamus ad peculiare.

Graves et pulchrae observationes a Lamotte, Pareo, Flajani, Monteggia, Jacopi, Petit, Richerand et aliis factae sufficienter ostendere possent nullam vel paucam saltem utilitatem apparatuum, quos Dessault invenit et meliores fecit Boyer in fracturis claviculae. At nos in praesens exquirere volumus num aliqua utilitas in nos redundare possit ex apparatibus his, an eos seponere sit mage conveniens. Sed ut sileam quod ad fracturam in situ retinendam (ubi ipsius reductio turbari possit) redderetur necessaria pressio magna nimis humeri

supra pulvinulum sub-axillarem, qui quasi hypomoclium sistit vectis primi generis cujus brachium esse debebat humerus, pressio, quae omnino intolerabilis esset, vel quamquam perlata, parum temporis post gangraenam causaret; pressio, quae effici deberet per gyros circa corpus tales, qui ut bene agant impedire debent dilatationem thoracis in respiratione; hoc inquam, ut sileam, probari quit oriri haud posse dimotionem fragmentorum, illam praeterquam tulisset causa directa quae fracturam produxerit. Et revera cum frangatur pars claviculae sternalis, nec intimum fragmentum ob capsulam articularem, musculosque sterno-cleido-mastoideum, pectoralem magnum, atque dentatum antero-minorem , nec exterius ob actionem ligamenti costo-clavicularis, partis superioris ligamenti bicornis, et ligamentorum conoidei et trapezoidis, musculorum istorum nec non sub-clavicularis amoveri nequeunt. At neque ubi paullulum externe frangatur, orietur dimotio, nam pars clavicularis musculi sterno-cleido-mastoidei ipsam extollit, pectoralis major demittit, et retrofertur a ligamento et musculo subclaviculari. Ita nec ubi fractura eveniat extra insertionem sterno-cleido-mastoidei, dimotio habebitur conspicua, cum agere nequeat nisi pectoralis et sub-clavicularis, quorum primus inferius, alter vero sistit e retro. Quod si fractura accidat in parte scapulari, trapetius, deltois ligamentum, coraco - claviculare, capsula et ligamentum superius articulationis acromialis satis fragmenta cohibere possunt. At scio qua frequentissima dimotionis partis acromialis,

causa brachii pondus haberi, quod clavicula fulcro carens infra vergit, ajunt, et cum ipso scapula et pars etiam scapularis ipsius claviculae. Et in hoc error consistit: namque retentum est id accidisse ex observatione facta, quod apex humeri sit alterius sani demissior. Ast haec demissio nihil aliud est nisi optica illusio. Adparens mutatio libelli humeri utriusque pendet ex hoc, quod aeger, doloris metu, illius partis musculos relaxando, caput, collum totumque declinat corpus, simulans ita demissionem, quae nisi ficta esse quit: id quod evenit quotiescumque coxa, crus atque pes gravi afficiantur dolore: namque artus tunc ita brevior adparet, ut solum nisi summo pede tangere possit: sed tamen nulla in ossium continuitate evenit mutatio. At et alio modo probari potest humeri apicem talibus nequire deprimi in casibus, experimento videlicet disarticulationis claviculae in cadaveribus; ex quo patet scapulam nihilominus idem tenere libellum, quod antea. Quod si quis objicere mihi vellet quod experimenta in cadaveribus pauci habeantur momenti, clarius luce solis adducam exemplum, quod fortuna mihi tribuit observandum initio anni scholastici millesimi octingentesimi trigesimi quarti et quinti in clinico chirurgico a clariss. professore Signoroni directo. Mihi nempe sermo est de aegro illo in lecto secundo jacenti et luxatione claviculae ex latere scapulari adfecto. Memini quod princeps adductum symptoma ad humeri luxationem excludendam, (sicuti primo intuitu in dubium trahi poterat respectu habito amissae humeri con-

figurationis) princeps, inquam, adductum symptoma illud fuit nullius productionis artus adfecti comparatione instituta cum sano. Nunc ubi clavicula fulcri esset scapulae respondenti atque brachio, conspicuam habuissemus artus adfecti productionem: id quod omnino deerat in casu mox adducto. Hoc exemplum ita convincens est, ut nemo tueri amplius possit possibilitatem dimotionis fragmenti scapularis in claviculae fractura ex brachii pondere producta. Nec tantum non demittitur humerus, sed neque fertur antea; hoc namque ubi accideret ait Ribes, extremitas claviculae humeralis se per quam leviter sub acromio movens, horum ossium luxationem induceret. In fractura ergo claviculae statui potest cum certitudine tam morali quam physica nullam fragmentorum dimotionem oriri, illam praeter quae evenire quit directe e causa quae fracturam produxerit; dimotio quae ex chirurgo tolli potest absque renovationis periculo statim ac consuluerit ne vires externae in ipsa magant. Ex quo principio necesse manat non tantum inutiles esse apparatus a Dessault ad hoc inventos, verum etiam damnosos propter tormenta, quae aegro feruntur ab illis. Ut autem videamus quantae utilitatis hi sint apparatus, legatur casus, quem Bichat nobis tulit (Bichat Professoris Dessault Apostolus major), de viro quodam, cui apparatus iste adplicitus fuerat in fractura claviculae. Toto curae tempore aeger iste pulvinulum adhibuerat, ita ut crassior pars infra et sursum subtilior responderet: talique pacto principium cui apparatus erat innixus mani-

feste impellebatur: attamen consolidatio facta fuerat exacte.

Anne nunc ratiocinationibus ostendam inconvenientiam apparatuum (qui extensionem permanentem ferunt), in colli femoris fractura cum correctionibus, quaecumque ipsae sint a Scarpa factis et Volpi? Loquar experimentis Richerand innixus qui duos aegros ipsa die ad nosocomium s. Aloysii ubi pervenerunt, unum prope alium posuit collum femoris fractos, atque unum curavit ope apparatus, de quo sermo nunc est, alterum vero apparatu semi-flexionis. Post sexaginta dies quietis perfectae apparatibus sublatis, utrique sanati remanserant ac utriusque pedes exterius versi cernebantur; nisi quod alter adflictus fuerat adplicatione apparatus gravis et dolorosi, alter e contra nullum tulerat incommodum, et aptius propriis naturae necessitatibus adimplebat. Imo tali in occasione scribit iste chirurgus: duplex distensio contrario sensu confecta per fascias ita dictas extensionis continuatae est omnino nulla: intoleranda vi opus esset ut hae distensiones optatum consequerentur scopum articulationem ad usque coxofemoralem; media haec nonnisi cruciare queunt collum pedis, inguinesque defatigare propter laqueos qui istas comprimunt partes scopo extensionis et contraextensionis exequendae. Ita curationes ordinatiores atque protractae cum apparatu Dessault susceptae in colli femoris fracturis, et similes alii apparatus solo fine exercendi extensionem permanentem fracti artus inventi, non concedent sanationem nisi cum artus contractione

et versione genu et pedis exterius . . . . id quod mage notatum atque incommodum est.

Observationi clariss. Richerand mihi addere sufficiet, quod eximius, qui ipsi Dessault successit, chirurgus, Dupuytren inquam, etsi quanta poterat vi prope labentem fulcire tentaret sui antecessoris famam, attamen hujuscemodi apparatus seponere debuerit, nec nisi simpliciori usus fuerit methodo, positione nempe, vel, sicuti exactius nuncupatur, flexione. Notandum ceteroquin mihi est sicuti chirurgus iste, qui nil alienum sibi adjudicare debebat cum satis bene mereretur de re chirurgica, sibi tribuerit inventionem adplicationis methodi clariss. Pott in colli femoris fracturis, asserens scriptorem hunc eis oblitum fuisse, et id valde mirari; dum in operibus ejusdem Pott scripta invenio verba: *Os femoris*, *os coxae*, quae cum totum os exprimere valeant, ejus collum certe non excludunt: et praeterea, etiam hoc excepto, illustris Sabatier et ante Francorum seditionem ista utebatur methodo, quam haud multo post chirurgus militaris Canin nosocomium Charitatis anno millesimo octingentesimo nono Berolini invisens a Mursinna adoptatam invenerat: et quod pluris est, noster Monteggia loquitur de apparatu vel methodo flexionis. Ob antea dicta nostra est opinio rite posse e chirurgia quemcumque extensionis permanentis apparatum pellere. Quod si mihi dicatur primis fracturae diebus musculos ossi adhaerentes irritatos esse, et inde contrahi debere amovendo fragmenta, ideoque extensionem permanentem esse adhibendam; nos e con-

tra dicemus quod praecipiant nobis fervidiores iidem methodi hujusce sectatores ne apparatus adplicemus, nisi prius irritatio fuerit evicta. Notetur denique gradum nimis levem extensionis omnino inutilem fieri, neque fragmenta cohibere, dum extensionis ipsius actionem adaugendo ipsa persaepe intolerabilis evadit, musculi distensi spasmodice contrahuntur, unde inflammationes phlegmonosae, escharae et alia damna, propter quae necesse est illam rejicere, et poenitere quandoque etiam adhibuisse.

Nec sola in fracturarum cura se ipsum decepit Dessault, vir ille, qui principatum chirurgiae tenere fuerat visus. Modificationes, quas ipse correctiones dixit, factae in Gorgeret Anglici Hawkins satis superque probant quam indigne eum prosequerentur laudibus per plusquam viginti annorum decursum. Et re quidem vera quis credet unquam quod reddere vix concavum instrumentum illud, ita ut lamina dici posset quasi recta, impedire valeat laesionem arteriae pudendae communis, si haec minime evitetur, sed e contra plane secetur? Quid, quaeso, dicendum de inventione rudis et complicati instrumenti ad operationem aliunde facillimam et simplicissimam qualis est kyotomus ad abscissionem uvae? Quid de illa methodo ligandi femoralem arteriam, ita ut saepe saepius necessitas urgeat periculosa recidendi e transverso musculum sartorium: id quod et ipsi pluries contigit? Quid de terrificis et fallacibus ejus praeceptis circa operationem terebrationis? Quid demum de gloria, quam sibi adjudicare tentavit, cum di-

ctitabat se primum rejecisse fasciam circularem ex operatione amputationis, et rectum cultrum loco curvi proposuisse quod jam erat in usu, dum chirurgus insignis e Liverpool ita optime meritus de re chirurgica in amputationum historia, Allamson, inquam, ante aliquot annos in suo opere: *Practical observations on Amputation* scripta reliquerat omnia ista multaque alia praecepta, claris pulchrisque verbis expressa? Quod si tali pacto scientia progrediatur, quid requiretur ut impressa relegat vestigia?...

Incassum edocebat et profitebatur clariss. Sabatier chirurgiae simplicitatem, ipsamque in nosocomio faciens longe e centro capitis regni posito, parumque alumnis frequenti modeste adversus omnibus agyrtis, vox ejus vix erat intellecta, dum Dessault alumnorum multa turma circumdatus ex clariori interea theatro supra ipsam credulam nimis proprios serebat errores . . . . . Errores heu! deplorandi, qui superfuerunt auctoris vitae quorumque aliquo jam tempore tanta mundi pars echo atque victima fuit.

Utar his verbis, quae italum alacre ingenium scripta reliquit. (Rasori del preteso genio d'Ippocrate.) Ipse loquebatur de Hippocrate, sed hoc potiori ratione de Dessault intelligi posset. » Con » buona pace degli entusiasti lodatori di lui, sen» za lasciarmi sgomentare nè dal numero, nè dal» l'autorevole consenso di tanti uomini, io dico » che se l'opinione che si aveva di lui prova qual» che cosa, prova soltanto che molti dei medici » non hanno mai appreso che cosa sia osservare,

» ed hanno ripetuto l'uno dopo l'altro con cieca » servilità, come spesso si suole delle opinioni do- » minanti, gli elogi di lui senza avere o la capaci- » tà od il coraggio di pesarne essi stessi con giu- » sta bilancia il merito. »

Quid non cogunt famosi nominis praestigiae! In quos non inducunt errores miseratione dignos! Sed (solatium miserae humanitati) cogitandi servitus in diem jam labitur. Et nos, nos ipsi utique scimus nonnulla dari effata quae deleri nequeunt ex hominum mente in qua sint nimis alte reposita; attamen sensim penitus corde erasa evanescent: secus ubi quis tentet ea uno ictu evellere propriam facile periclitabitur famam, atque haec magnanimae potest esse susceptionis victima.

Me ex me decipere ipse possem: at si quis mihi meae fallaciam opinionis ostenderit, eam mutare aliamque veram amplecti polliceor. Sed in libris recentioribus chirurgiae donec nomen istud oblitum videam, nec non oblita illa quae nobis reliquit documenta; cum videam facta et experimenta in ipsum stare atque loqui; cum celeberrimum videam scriptorem in chirurgiae historia epocham statuere, ac epocham e Dessault luminosiorem, et post aliquot annos toto coram consessu Academiae realis chirurgicae Parisiis et coram universo orbe, jam dicta revocare, et se fascinatum dicere atque maturo satis nondum judicio deceptum; cum quotidie lamentari audiam damnum, medicis quod scientiis infert auctoritas; vix dubitem me in errore versari.

THESES DEFENDENDÆ

I. Optandum, ut in Italia anatomes pathologicae schola incrementa majora capiat.

II. Qua primum terrae solvens potius habendus est ignis quam aqua.

III. Splen organon ad sistema lymphaticum pertinens.

IV. Cum chlorureta ad statum liquidum transeunt, hydrochlorata fiunt.

V. Hepar pulmonis morbosi functiones aliquatenus resarcit.

VI. Lichen Islandicum minime sola pollet facultate nutriendi.

VII. Symphysiotomia est operatio crudelis et prope nullius utilitatis.

VIII. Celso primum tribuenda illa methodus, quam bilateralem Dupuytren nuncupat.

IX. Pulmonis tubercula potius causa quam effectus pneumonitidis sunt.

X. Absque irritatione ventriculi ex emeticis emesim habemus.

ologicae
abendus
n perti-
trans-
quate-
culta-
t *pro-*
quam
effe-
me-